

INDEX DISPUTATIONUM

- XII Disput. vide p. 4
 sub Praesidio S. Frid. Bal
 duini.
- 13 De verbis testamenti Iesu
 Christi filii Dei, hoc est
 corpus meum, hoc est sanguis
 meus Pr. Balduini.
- 14 De Prae destinatione
 Pr. D. Joh. Gerhardi
- 15 Oratio De Friderico Myco.
 nio Theologo constantiensi et
 primo Thuringarum Evangelista
 sub D. Ant. Erbo
- 16 De Dei et Christi Oratoris
 nostri Mediatoris nostri, apud
 creaturas gubernandas
 universali et speciali pre
 sentia. D. Bal. Mentzneri
 D. Iust. Feurbornii etc.
 quomodo quationum. etc.
- 17 Absterfus Calumniarum
 Joh. Corvici. Pr. Balb.
 Mentzneri.
- 18 De Baptismo conclusionibus
 comptehensivus. Pr. D.
 Petri Biscautoris.
- 19 De persona Iesu Christi ser
 vatoris nostri Pr. D. Ambro.
 Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis
 Sacramenti Pr. D. Georgii
 Mylii.
- 21 De visitatione eccle
 siastica Pr. D. Georgii
 Mylii.
- 22 Carolestadius redivivus
 contra Calvinianos Pr. D.
 Georgii Mylii.
- 23 De verbo Dei scripto,
 et traditionibus per
 scriptis. In Disputationes
 X distributa. sub Praes.
 D. Leonhardi Hutleri.
- Indice decem Disputationum
 vide p. 2. in disp. 1.
- 34 Threnologia de obitu
 Principis Friderici Wilhelmii
 Hutre D. Georgio Mylio.
- 35 Panegyris Actus Doctores
 jurisconsultum i. e. Joh.
 Stigeli et aliorum de inaugu
 ratione Acad. Salanae.
- 36 Modus inveniendae Concordiae
 in controvers. De electione ad
 vitam a San. Hubero D.
 2 In morte Principis Saxoniae
- 37 Ad Tragediam Virgilianam
 de Aenea et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.
 Ph. Melancthonis ad D. Frid.
 Myconiū conscriptae et
- 39 De viro sancto Martino
 Lutbero.
- 40 Votum nuptiale

Baldwin: Disp. omnes in
un: versos Berta locos
collected ab ejus auditore

Franciscus Schlegel

W. Pm.

rese

nto
77
ione
ras.

um

Lu
Belat
lio.

re
los.

uqu
na.

ndia

ad


nie

nam

D.

frid.

fino



ARTICULUS

De

BAPTISMO
CONCLUSIONI-
BUS COMPREHENSUS

Theologicis:

Quarum patrocinium,

Divina aspirante gratia,

SUB PRÆSIDIO

Petri Piscatoris D. ac Pro-
fessoris Sacrarum Hebræarumq; Literarum publi-
ci, Facult. Theolog. p. t. Decani,

Publicè καὶ δὲ ὑμῶν suscipiet

M. FABIANUS VOGELIUS.

Ad diem 24. Maii,

Horis antemeridianis, & pomeridianis, loco
consueto.

JENÆ,

Typis CHRISTOPHORI LIPPOLDI.

ANNO 1606.

Veræ pietatis, et exactæ doctrinæ semitæ. DN.

VIRIS

Equestri antiqui generis splendore,
Insigni virtutis præcellentis decore,
Perdigno magnificæ auctoritatis honore

NOBILISSIMIS,

DN. GEORGIO ALBERTO
von Krombſdorff / ꝛ. Illustriff. Duc. SAX. AL-
TENBURGI à consiliis intimis, & Præsidi
ibidem amplissimo:

NEC NON

DN. GEORGIO Pflug / DOMINO
in Posterstein / & Wolmarshayn / ꝛ. Illustriff. Du-
cum SAX: in aula Altenburgensi morum Præfecto
gravissimo,

DOMINIS, ET PATRONIS
meis suspiciendis

Hoc de S. S. Baptismate exercitium:
Meæ, & erga ipsos observantiæ monumentum,
& studiorum symbolum

*justa cum veneratione
offero, & dedico*

M. Fabianus Vogelius
Churwifensis.



DE BAPTISMO

CONCLUSIO PRIMA.



E BAPTISMO, NOVI TESTAMENTI SACRAMENTO primo, *ζωὴ θεῶ,* disserturi; priusquam ipsum τὸ πρᾶγμα, reiq; finitionem, aggrediamur: Ὁμωνυμίαν vocabuli paucis enodabimus.

II.

Siquidem, Philosopho teste, εἰ τῶ ὀριζομένης πλεοναχῶς λεγομένης μὴ διελὼν λέξω, ἄδηλον, ὅποτέρως τὸν ὄρον ἀποδέδωκα. 6. Topic. cap. 2.

III.

VOX βαπτισμός καὶ βάπτισμα, ἀπὸ τῆ βαπτίζεν, quod est à βάπτω, Latinis Baptismus & Baptisma, tum γενικῶς, tum εἰδικῶς usurpari consuevit.

IV.

Ufus γενικὸς vel est ἄνδρ τρόπος atq; Proprius: vel τρόπῳ ἐχρηματισμένῳ & Impropius.

V.

Proprius, quando tincturam siue immersionem notat, congruens cum Hebræis בָּטַח & בָּטַח quæ βάπτειν καὶ βαπτίζεν, hoc est intingere & immergere propriè significant. Levit. 4: 6: 17. Et intinget (βάψει) Sacerdos digitum suum in sanguinem. 2.

A 2

Reg.



Reg. 5: 14. Descendit Naaman Syrus, & lavit (וַיִּטְבַּל
καὶ ἐβαπτίσθητο, & intinxit sive immerfit se) in Jordane
septies. Job. 9: 31. Sordibus intinges me sive immer-
ges. Quam ipsam vocum ἀνρίβειαν Megalander Lu-
therus in sua quoq; versione German. eleganter ex-
pressit.

V I.

Impropius sive Tropicus fit 1. Metalepsi sive
Effecti Metonymiâ. 2. Metaphorâ, 3. Synecdoche.

V I I.

I. Priori modo quaslibet lotiones sive lavacra
designat. Hinc Marc. 7: 4. Luc. 11: 38. Judæos, va-
rios baptismos, hoc est, lotiones sive ablutiones cali-
cum, urceorum, xamentorum, & lectorum habuisse,
dicitur. Cui purificationes sive lotiones Judæorum,
quæ initiò in primitiva Ecclesia, præsertim Aposto-
lorum tempore, nondum erant prorsus abolitæ, sub-
jicimus. Hebr. 9: 10. Et hæc significatio, unâ cum
præcedente propria tam apud profanos, quàm sacros
scriptores usu recepta approbataq; reperitur.

V I I I.

II. Μεταφορικῶς triplicem significationem ob-
tinet. Primò enim pro cruce, calamitatibus & affli-
ctionibus sumitur. Matth. 20: 23. Mar. 10: 38. Luc.
12: 50.

I X.

Quò non incommodè retulerimus *Baptismum*,
quem vocarunt, *Sanguinis*, eorum martyrium intel-
ligentes: qui Sacramentali Baptismo nondum acce-
pto, pro fide confessioneq; Christi decertantes ad san-
guinis usque profusionem restitère. Compend. The-
ol. verit. lib. 6. cap. 9. x. 2. Effu-

X.

2. Effusionem visibilem donorum Spiritus S. denotat, quemadmodum videre est Act. 1: 5. II: 16. 19: 5 & 6.

X I.

Hinc καὶ ἀναλογίαν *Baptismus Flaminis* vulgò dictus fuit, cùm Catechumeni ante acceptum Baptismi Sacramentum vitam cum morte commutarunt.

X I I.

3. Semel duntaxat de transitione illa miraculosa per mare rubrum intelligitur, qua & confirmati fuerunt in doctrina ac educatione Mosis; & ipsi eò magis Mosis, vel DEO potius, ejusq; doctrinæ obligantur. 1. Cor. 10: 2.

X I I I.

III. Deniq; per Synecdochen Membri, pro doctrina Johannis, qui baptizavit, atq; adeò pro tota ejus institutione ac Ministerio, accipitur. Matth. 21: 25. Luc. 20: 4. Act. 18: 25. 19: 3.

X I V.

Εἰδικῶς καὶ κατ' ἐξοχὴν de solenni illo initiationis mysterio, Sacramento nimirum primo, quod, in Novo Testamento, Circumcisioni successit, usurpatur.

X V.

Idq; bifariam. Interdum enim συνεκδοχικῶς aquæ nomine indigetatur. 1. Joh. 5: 6: 8. Joh. 19: 34. Interdum verò, πειραστικῶς, nomine lavacri aquæ: lavacri regenerationis Spiritus sancti: Circumcisionis deniq; quæ fiat sine manibus innuitur. Ephes. 5: 26. Tit. 3: 5. Joh. 3: 5. Col. 2: 11.

A 3

XVI. Et

XVI.

Et hic est *Baptismus FLUMINIS*, uti superioribus seculis appellatus fuit.

XVII.

Proinde, quid de triplici veterum Baptismo sentiendum sit, ex iis, quæ hætenus dicta sunt, manifestè conspicitur: Nimirum, ἄκυρον esse Divisionem istam, cum Baptismus Sangvinis, & Baptismus Fluminis, sensu saltem translatio sive Metaphorico ita vocentur: Fluminis verò καὶ ἐξάρετον λόγον, peculiari planè ratione, unicus in Ecclesia dici Baptismus mereatur: quemadmodum in progressu latius ostendetur.

XVIII.

Specialem istam significationem, quam hoc loco γησίαν agnoscimus, fusiùs paulò, ξὼ θεῷ, persequemur: quid hoc de Mysterio Codex nos edoceat Biblicus, συντόμως monstraturi.

XIX.

Θεσικῶς ergò πραγμασίαν integram sic libet proponere: *Baptismus est Sacramentum Novi Testamenti primum, divinitus institutum, quo hominibus aqua baptisatis in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti Deus beneficia, sanguine Filii parta, cum offert, tum fidei interventu confert, donat & applicat: ut ita, ex filiis iræ, filii Dei ad vitam æternam regenerentur ac renoventur.*

XX.

Θεσικῶς modò allati ἐξάπλωσιν suscepturi, causas potissimùm, unâ cum variis atq; utilibus quæstionibus ac dubiis hinc emergentibus, rimabimur, curiosas interim atq; frivolas concertationes ac quæstiunculas otiosis Monachis relicturi: Idq; hunc in modum,

dum, ut veram sententiam nostram θελικῶς, è Scripturis divinis, roboremus; falsam verò ἀνθελικῶς proponamus ac confutemus.

X X I.

Sacramentum igitur esse Baptismum, ex ipsa Causarum pertractatione patefcet: Et primò quidem ex Efficiente & Materia.

X X I I.

Efficiens hîc occurrit *Principalis* & *minùs Principalis* sive *Ministrans*.

X X I I I.

Efficiens Principalis Deus est, id quod tum ex prædictione in veteri Testamento facta patet; tum ex Institutione in Novo peracta fœdere, tam manifestum est, quàm quod manifestissimum.

X X I V.

Prædictio ista vel τυπικὴ est, vel επευγγελικὴ.

X X V.

Typos, propter diversitatem τῆς σοφηνείας, quam alunt in *Primarios* partimur & *Secundarios*.

X X V I.

Primariorum quatuor reperiuntur, quorum *primus* arcâ Noachi in diluvio notatus fuit. Hunc Petrus 1. Epist. cap. 3: 20: 21. expressè indicat, dicens: cum semel expectaretur Dei lenitas in diebus Noë, cum apparabatur arca, in qua pauca, hoc est, octo animæ servatæ sunt per aquam: Quæ etiam nos nunc salvos facit, videlicet Baptismus, qui figuræ illi respondet.

X X V I I.

Secundus, Circumcisio fuit, suffragante Apostolo, Coloss. 2: 11: 12. Per Christum circumcisi estis,

estis, circumcissione non manufacta, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcissionem Christi, consepulti simul etiam cum illo resurrexistis.

XXVIII.

Tertium, transitus Israëlitarum, per mare rubrum, monstrat. Exod. 14: 29. Sic enim Apostolus 1. Cor. 10: 1: 2. Patres nostri omnes per mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & mari. Id quod in figura (τύπω) illis contigit. Ibid. vers. 6. & 11. Quemadmodum enim sicco pede, suffocatis Ægyptiis, Israëlitæ transierunt: Sic in Baptismo baptisati servantur; peccatum verò cum veteri Adamo suffocatur, ne ad damnationem nobis imputetur.

XXIX.

Typum *quartum* Aqua Jordanis, qua Naaman Syrus miraculosè sanatus fuit, suppeditat. 2. Reg. 5: 14. Quemadmodum enim ille in Jordane tinctus sive baptizatus, à lepra corporali: Sic nos sacramentali aqua à spirituali mundamur ac liberamur.

XXX.

Secundarii Typi sunt: 1. Aquæ in Mara, quæ à Mose ligno injecto, dulces reddebantur. Exod. 15: 25.

XXXI.

2. Aquæ, è petra, à Moyse percussa, manantes. Exod. 17: 6.

XXXII.

3. Aqua expiationis, in quam vaccæ ruffæ cineres conspergebantur. Num. 19: 12. & seqq.

XXXIII.

4. Huc deniq; varias illas ablutiones & aspersiones Judæis usitatas referri posse, Autor Epistolæ ad Hebræos C. 9: 10. 10: 22. haud obscure innuit. XXXIV.

X X X I V.

Ἐπιγγελίαι five promissiones in *Prophetis* occurrunt & *Psalms*.

X X X V.

Sic enim Zach. 13: 1. per scriptum legimus: In die illa erit fons apertus domui David & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccati & immundicie: tempore nimirum ἡ ῥογή ἐν σαρκὶ γενήσεται fons aperietur scaturiens in Ecclesia, ad quem omnibus pateat accessus, cujuscunq; ordinis conditionisve illi fuerint.

X X X V I.

Hinc Esaias Gentes in ulnis suos, allaturas & oblaturas, filios & filias suas super humeros portaturas, videt. Cap. 49: 22.

X X X V I I.

Esa. 61. 10. Gaudens gaudebo in D O M I N O, & exultabit anima mea in D E O meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ operuit me. Quo ipso maximoperè sibi gratulatur Ecclesia, quòd induitur in Baptismo veste preciosissima, nēpe Christo Servatore, cujus innocentiam peccata nostra teguntur. Psal. 32: 1. Rom. 4: 7.

X X X V I I I.

Sic Ezech. 36: 25. populum suum aquis mundis aspersurum pollicetur D E U S, quibus mudentur ab impuritatibus suis.

X X X I X.

Joël. 3: 18. Fons limpidissimus & saluberrimus à domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem Sittim, hoc est, Baptismus Novi fœderis ppetuas consolationes contra omnis generis tētationes, largietur.

B

40. E Psal-

X L.

Et Psalmodiis Davidicis ista sufficiant. Ps. 29. 10. Dominus (Christus J E S U S) ad diluvium (immitendum) sedet h.e. meditatur instituere diluvium Baptismi, in quo suffocetur vetus Adam, & aboleatur peccatum, ne ampliùs in conspectu D E I imputetur.

X L I.

Ps. 46: 5. Rivuli fluminis lætificant civitatem, D E I, sanctas habitationes altissimi. Quò nōnullis verba Ps. 103: 5. Benedic anima mea Dominum, qui satiāt bonis os tuum, renovabitur, ut aquilæ, juvenus tua, referre placet. Ex Ambrosio Joach. Westph. de Baptism. p. 188.

X L I I.

Cæterùm, in Nov. Testam. ipsa Baptismi institutio subsequuta est, ante passionem mortemq; Christi ad baptizandum Judæos potissimùm facta, promulgataq; à D E O uno κατ' ἑστίαν, ac trino κατ' ὑπόστασιν Joh. 1: 33. Matth. 3: 16: 17. 21: 25. Mar. 1: 10. 11: 30. Luc. 3: 22. 7: 30. 20: 4.

X L I I I.

Post mortem verò & resurrectionem suam Christus, Institutionem illam quasi renovans, baptizari iussit tam Gentes quàm Judæos. Matth. 28: 19. Mar. 16: 16.

X L I V.

Errant igitur Pontificij, qui tametsi non omnes pari cum Bellarmino impudentia temeritateq; Baptismi Iohannis D E U M autorem esse expressè inficiari audent: Institutionem tamen & Institutionis renovationem, inscitiâ, malitiavè non advertentes, Iohannem

hannem suo Baptismo, Baptismum Christi saltem
prænucciasse garriunt. Et, sic specie differentem, à
Christi & Apostolorum Baptismo constituunt: nixi
insuper hypothese falsissima, quòd ille in pœnitenti-
am duntaxat, hic in remissionem peccatorum fuerit
adhibitus. P. Lombard. lib. 4. dist. 2. §. 4.

X L V.

Reclamat enim Scriptura, quæ Iohannem præ-
dicasse Baptismum pœnitentiæ in remissionem pec-
catorum disertè asseverat. Mar. 1: 4. Luc. 3: 3.

X L V I.

Hinc, tametsi Apostoli Baptismum à Iohanne
perceperunt, uti ex Ioh. 1: 37: 40. Luc. 7: 30. con-
stat: Nihilominus tamen Petrus de illius virtute atq;
efficacia salutarî certissimum se esse disertè profitetur.
I. Epist. 3: 21.

X L V I I.

Quid? quòd Christus ipse cum Nicodemo col-
loquens, Baptismo tum vigenti, virtutem renascendi
tribuit. Ioh. 3: 5.

X L V I I I.

Deniq; unicum tantummodò Baptismum esse
Novi fœderis Apostolus sonora voce pronunciat. E-
phes. 4: 5. Cujus cum Iohannes Minister fuerit, non
alium hujus, alium Christi Baptismum esse infallibili-
ter consequitur.

X L I X.

Breviter, καὶ κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν, ἐνόησα Baptif-
mi, per Iohannem & Apostolos administrati, sic o-
stendemus.

Si Baptista Minister fuit N. Testamenti: nec duo dari pos-

sunt N. fæderis Baptismi: & Causa utrobique sunt eadē respectu
Effic. Mat. Form. Finis: idemque Effectus: siquē Christus ipse
Servator noster; & Apostoli eodem Iohannis Baptismate
tincti fuerunt: neque alio insuper, *συνώνυμωσ καὶ κωλύωσ* ita
dicto, indiguerunt: sed idem etiam ante mortem Christi in
Iudæa; postea verò, in universo terrarum orbe administra-
runt: sequitur Iohannis & Apostolorum, sive Christi, unum
idemque NUMERO esse Baptisma.

Connexio est *ἀναλιρρήνη* & *καὶ ἀνυπέστυν*. Antece-
dentis membra omnia atque singula propriā suā luce
radiant, & jam antè è Scripturis sunt commonstrata.

Consequens ergò fixum firmum adversus portas infero-
rum subsistat, necessum est.

L.

Discrimen quidem vulgò, à Subjecto sive Loco,
& Materia circa quam, ut loquuntur, nec non Adjun-
cto seu *περίσσει* Temporis, peti consuevit; siquidem
Iohannes in Iudæa saltem gentem Iudaicam ad se ve-
nientem, ante passionem mortemque Christi, baptisa-
bat: Verum enim verò, cum utrunque Christi quoque
discipulis & Apostolis eorumque Baptismo, ante mor-
tem ejus administrato, in Scripturis tribuatur, adeoque
eadem cum Baptista communia habeant; non est, ut
diutiùs his explicandis immoremur.

L I.

Σφάλμα Pontificiorum primum hoc fuit: 'E
cujus pertractatione alterum non minùs crassum atque
impium, sponte sua, collabascit, dum nimirum Sacra-
mentum esse Iohannis Baptismum, negare non sunt
veriti; nugatoria planè usi atque frivola probatione,
quòd gratiam ex opere operato non contulerit, fal-
sum vi-

sum videlicet falsitate cumulantes. Lombard. lib. 4.
distinct. 2. §. 4. Marsil. lib. 4. sentent. quæst. 2. art. 2. &
5. Bellarm. Tom. 3. de Baptif. Capp. 20. 21. 22.

L I I.

Huc quoq; *ἡ δόξα* atq; delirium Calvinianum
referendum fuerit, quo u n u m numero Baptifmum
in geminum, Externum alium, alium Internum, cùm
definitione & Effectis, tùm temporum intervallis, di-
strahunt ac divellunt: finem, Effectumq; cum causis
Internis five partibus Essentialibus *ἀπαιδύτως* con-
fundentes. Catech. Heydelb. de Baptifm. quæst 1.

L I I I.

Efficiens porro *minùs Princeps* five *Ministrans* sequi-
tur, in iis, qui Baptifmum conferunt & administrant.

L I V.

Baptizant autem alii *Ordinariè*: alii *Extraordinariè*.

L V.

Ordinariè penes verbi Ministros, qui ad prædi-
candum Evangelium legitimè sunt vocati, baptifandi
munus residere dicimus. Matth. 28: 19. 1. Cor. 4: 1.
14: 40.

L V I.

Quin imò omnes Ministros, five pii sint, five im-
pii, Hæretici vel Schismatici, modò de substantia Sa-
cramenti hujus rectè sentiant, h. e. sacrosanctam Tri-
nitatem non impugnent, ac in substantialibus Institu-
tionem D E I sequantur & observent, ordinariè ve-
req; Baptifmum administrare posse statuimus.

L V I I.

Hinc rectè *Augustinus*: Baptifmus talis est, qua-
lis il-

B 3

lis il-

lis ille, in cuius potestate datur, non qualis ille, per
cujus ministerium datur. Super Ioh. Tract. 5.

L V I I I.

Et alibi: Cùm baptizat malus, illud quod da-
tum est, unum est, nec impar propter impares mini-
stros, sed par & æquale propter hoc: Hic est qui ba-
ptizat. Ioh. 1: 33. August. in Ioh. Tra. 9. Quo sensu i-
dem alicubi haud ineleganter: Quos baptizavit Iu-
das, Christus baptizavit, in Ioh. tract. 5. Et notum illud
nostris in Ecclesiis: *Der ist allhie der Teuffer/* è loco
modò allegato. Ioh. 1. Cap.

L I X.

Præclarè itidem *Beda*: Sive hæreticus sive schi-
smaticus, sive facinorosus quisq; in confessione sanctæ
Trinitatis baptizet, non valet ille, qui baptizatus est
à nobis Catholicis rebaptisari, ne confessio & Trini-
tatis invocatio annullari videatur. Homil. 36. sup.
Matth. citante Lomb. lib. 4. dist. 6.

L X.

Errarunt igitur I. *Cyprianus* & *Concilij Carthagi-
nensis Episcopi*, dum Baptismum ab Hæreticis admini-
stratum inefficacem esse voluerunt. Euseb. lib. 7.
Cap. 3. Hist. Magd. Cent. 3. p. 187. A quo errore quo
pacto se liberent moderni quidam Pontificii, ipsi vi-
derint.

L X I.

II. *Donatista, Anabaptista & Stenckfeldiani*, sen-
tientes virtutem Baptismi pendere à Ministro bap-
tizante, qui, si bonus sit salutarem, esse Baptismum; sin-
minùs, nihil prodesse, ideoq; ejusmodi rebaptizan-
dos blaterant. Hist. Magd. Cent. 4. C. 8. p. 584. Et
Cap. 5. p. 376. 62. Quæ-

LXII.

Quæstio hîc moveri solet: *Virum Baptismus ab Antitrinitario collatus verus sit ac legitimus, nec ne?* Nos, quandoquidem Antitrinitariorum cōventicula horrendis blasphemis Sacrosandam Trinitatem proscindunt, & sic in ipsam Baptismatis substantiam impingunt; illorum Baptisma irritum, imò nullum esse censemus.

LXIII.

Disertè dico, Baptismum in Antitrinariorum conventiculis administratum. Fieri enim quandoq; potest, ut in Ecclesia Orthodoxa, preces pias pro baptifando, ad DEUM trinum & unum fundente, Minister hæresi Arriana clàm infectus baptifet, cujus tamen fraus atq; perfidia Baptismo ipsi nil quicquam derogabit.

LXIV.

Exurgit hinc Quæstio alia: *Num Spiritu S. peccatis contra conscientiam excusso, Baptismus iterandus sit nec ne?*

LXV.

Respondemus, cùm ejus rei mandatum in Scripturis non extet, sicut de Cœna Domini extare videmus, in negativam nos tutissimè posse descendere.

LXVI.

Quemadmodum enim circumcisionem repetere non licebat: Sic nemo Baptismum absq; temeritate insigni iteraverit.

LXVII.

Præterea, ut in hanc temporalem vitam semel duntaxat nascimur; ali autem indies necessum habemus: Sic ad æternam beatamq; vitam semel nascimur

mur in Baptismo, in Sacramento verò Eucharistico
sæpiùs alimur ac reficimur.

LXVIII.

Deniq; in Baptismo hoc potissimùm agit DEUS,
ut voluntatem suam nobis testatam reddat: quæ, quia
est ἀμεταμέλη & constantissima: Rom. II: 29. Ba-
ptismum repetitione nulla indigere dicimus.

LXIX.

Quod si quis seria de peccatis admissis contriti-
one ac dolore ducatur; consolationem firmam in Ba-
ptismo semel accepto sibi esse propositam firmis-
simè statuatur, simul etiam ut in divinæ misericordiæ si-
num recipiatur, januam gratiæ divinæ virtute pristini
Baptismi sibi nullo non tempore patere, noverit.

LXX.

Erravit igitur I. *Marcion*, qui tres Baptismos
constituit: Primum exhibendum post primam Con-
versionem. Alterum, postquam delictum sit admis-
sum post conversionem. Tertium, si post secundum
Baptismum peccatum sit commissum.

LXXI.

II. *Himerobaptista*, qui, quandoquidem quoti-
diè peccamus, neminem salvum futurum docebat,
nisi qui singulis diebus sacro Baptismate tingeretur.
Unde etiam ἡμεροβαπτισῶν nomen in Ecclesia obti-
nuerunt.

LXXII.

III. *Novatiani & Cathari*, qui lapsis post Bap-
tismum, nullum pœnitentiæ locum relinquebant, et-
iamsi omnia ad pœnitentiam necessaria fecissent,
adeoq; fœdus illud sacrosanctum cum DEO initum
prorsus evertere conabantur & enervare. 73.

L X X I I I.

IV. *Pontificii*, Baptismum esse primam post naufragium tabulam, neq; post Baptismum lapsis prodesse regenerationis lavacrum docentes, sed alio opus esse remedio, quia gratiæ fœdus dissolutum, fractumque sit. P. Lombard. lib. 4. dist. 14. §. 1.

L X X I V.

Extraordinariè Baptismum administrant, privatis in ædibus, alii quoq; Christiani, tum viri tum mulieres, quando copia ordinarii Ministri haberi nequit. Cedit n. ordo aliàs usitatus necessitati: Cedit Sacramentis, quæ non propter ordinem, sed hic propter illa est institutus.

L X X V.

Id ipsum ulterius hinc constare arbitramur: Quod in Typo sine errore impietateq; fieri potuit, id in Antitypo etiam salva pietate fiet; nisi oracula divina diversum nos edocuerint.

L X X V I.

Iam Circumcisio à matre Zippora, filio Mosis, absq; impietate atq; errore collata fuit, quippe quæ ab ipso Deo rata fuit habita. Exod. 4: 25.

L X X V I I.

Ad hæc, praxis Ecclesiæ Dei tempore Antiochi demonstrat, Circumcisionem etiam à mulieribus piis fuisse administratam 1. Macc. 1: 63. 2. Macc. 6: 10.

L X X V I I I.

Quis igitur tam iniquus, tam ferreus atq; rigidus censor erit, ut Baptismum in n o v o Testamento, à privato pioq; Christiano, in necessitatis, quem vocant, casu, administratum, calculo damnatorio

C

notare

notare non erubescat, cùm nusquam in N. Test. vel à Christo ipso, vel ab Apostolis ejus improbetur?

L X X I X.

Præterea, si mulier pia ac fidelis, homini animam jam agenti remissionem peccatorum ex verbo Dei annunciare piè recteq; potest: quidni in necessitatis casu Baptismum quoq; administrare poterit?

L X X X.

Accedit, quòd publicum quandoq; prophetandi docendiq; locum piæ nonnullæ fœminæ obtinuerunt, id quod certè majus est, ipsa Baptismatis administratione. Sic in V. Test. Deborah Iud. 4: 4. Huldam, 2. Reg. 22: 14. prophetasse: In Novo, Hannam publicè in templo de Messia promisso testificatam esse Luc. 2: 38. Priscillam, uxorem Aquilæ, insignem pietate virum, Apollon, in via Domini erudiisse, eiq;, ut Apostolus loquitur, ἀκριβέστερον viam Dei exposuisse, Act. 18: 27. legimus: Unde eandem Apostolus suam σύνεργον appellare neutiquam dubitat. Rom. 16: 3.

L X X X I.

Error hîc occurrit geminus: In excessu unus: In defectu alter.

L X X X I I.

Illîc, à Marcione ejusq; complicibus peccatum fuit, dum mulieribus etiam extra necessitatis casum, & quidem in publicis cœtibus, baptizare permiserunt. Hist. Magd. Cent. 2. p. 93.

L X X X I I I.

Hîc à Sacramentariis turpiter impingitur. Et quidem trifariam. I. Dum Baptismum à S O L I S legitimè vocatis administrari posse opinantur: Et sic Baptismum in necessitatis articulo administratum re-

jici-

jiciunt, & damnant. Calv. Inst. lib. 4. C. 20. 21. 22.
Colloq. Mompelg. p. 435. 436.

LXXXIV.

Hic verò alii, novæq; , se Calvinistæ, involvent
controversiæ. Etenim Romanenses aut non verum
Baptisma conferre posse statuunt, necessum est: aut
legitimè vocatos rastos sacrificulos, ac Jesuitastros,
concedant, oportet.

LXXXV.

Non illud: quandoquidem à Pontificiis bapti-
fatos nondum rebaptizare hætenus ausi fuerunt. Hoc
ergò num amplecti, ac rastos unctosq; fraterculos pro
legitimè vocatis habere velint possintvè, ipsi viderint.

LXXXVI.

II. Dum præ cæteris *γυναικοβαπτισμὸν* impro-
bant. Eum enim pro fabula habendum autumat ipso-
rum Coryphæus, Beza Vezelius, ac nihilominùs Ba-
ptismum, ab ipso Diabolo, in ministerii cathedra se-
dente dispensatum verum esse Baptismum, affirmare
non exhorret.

LXXXVII.

III. Dum non nisi in publico Ecclesiæ cœtu
Baptismum administrandum esse garriunt. Tantum
de Efficiente: Succedit Materia.

LXXXVIII.

Materia in Baptismo vel *κρείως* ita dicitur, vel
αὐτότως καὶ κατὰ γρηγοριῶς.

LXXXIX.

κρείως ac usitatè Materia (Ex qua) Sacramenti
hujus *visibilis* est, & *invisibilis*.

LXXXX.

Visibilem dicimus aquàm naturalem, & elemen-

C 2

tarem



carem vel maris, vel fontis, vel fluminis, sive frigidam
sive calidam. Johan. 1: 33. 3: 5. Matth. 3: 6. Eph. 5: 26.
Act. 8: 36.

LXXXXI.

Ideò autem Baptismum in aqua fieri voluisse
DEUM non inscitè veterum tradunt nonnulli, ne
quem inopia excusaret, & ne propter defectum ho-
mines salutis periculum incurrerent, si in alio aliquo
liquore fieret, & ut apud omnes Baptismi materia re-
periretur.

LXXXII.

Errarunt igitur 1. *Seleuciani & Hermiani*, dum
non aqua, sed igni baptisandum existimabant.

LXXXIII.

2. *Jacobitæ*, qui aquæ baptismalis loco ferro
candenti crucis figuram frontibus imprimebant.
Quò referimus etiam Indos, qui freti illo, Matth. 3:
11. Ipse vos baptizabit Spiritu & Igni, baptizandos
notis quibusdam iniustis signare consueverunt.

LXXXIV.

3. Delirarunt & ii, qui non aqua, sed sangvi-
ne proprio, eoque flagellis excusso, baptizabant.

LXXXV.

4. Baptismum, illegitimè administratum, i-
mò nullum fuisse statuimus, eorum Christianorum,
qui Judæum per loca arida & deserta iter facientem
atque in morbum lethalem incidentem, tertium arena,
in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti consper-
serunt, teste Niceph. lib. 3. Centur. Magd. 2.

LXXXVI.

5. *Manichæi* quoque impegerunt turpiter, a-
quam

quam in Baptismo non adhibendam sentientes, quòd aquam, ut res cæteras corporales, non Deus sed Diabolus procreasset.

LXXXVII.

6. *Pauliciani*, qui loco naturalis aquæ in Baptismo, illa verba substituebant, Joh. 4: 14. Ego sum aqua viva.

LXXXVIII.

7. Huc pertinet, quòd *Marci* Hæretici sectatores quidam, baptifandos non ad aquam, sed ad liquorem, ex oleo & aqua mistum deducebant: eumquè capitibus illorum primùm infundebant, postea opobalsamo inungebant.

LXXXIX.

8. Blasphemus est *Carlostadius* cum sodalities suo Anabaptistico, dum Baptismum aqua constantem, lavacrum canum, balneum porcorum &c. vocitare minimè erubuit. Confess. Mansfeld. p. 73. edita ann. 65. Joach. Westph. de Baptif. p. 201.

C.

9. Errant & hîc bifariam *Pontificii*. Primò n. tametsi solam aquam ad Baptismi partem unam necessariò requiri statuunt: eandem tamen variis additamentis, ad Baptismi solennitatem, uti loquuntur, necessariò pertinentibus, contaminant atq; conspurcant. Ceu sunt: *Sal, oleum, Chrisma, cereus, Chrismale, saliva, Flatus, virtutem Baptismatis ista figurant.* Vide Albert. Magn. Comp. Theol. ver. lib. 6. c. 9. Nam posito maximè, quòd impietatis in se nihil habeant; periculi saltè evitandi causa, quodbaptifandis imminet à lepra, aut morbo Gallico &c. infectis aliisq; voo-

C 3

gõis

quibus interdum sacrificulis ac Monachis, pleræque istæ nugæ omittendæ essent.

C I.

Deinde, consecrationem aquæ requirunt. A quo errore Cyprianus olim non alienus fuit, dum consecrationem aquæ unâ cum unctione post Baptismum nimis superstitiosè urfit. Hist. Magd. Cent. 3. Hinc postmodum aquam Baptismi consecratam Romanenses contra morbos, incantationes, nec non ad depellendos Spiritus prodesse vociferantur: cum tamen Salvator noster Baptismum non contra morbos, non contra incantationes, &c. sed ad hominis regenerationem institutum attestetur. Ioh. 3: 5.

C II.

10. Calvinista, qui alio quovis liquore ritè baptisari posse asseverant. Beza volum. 3. p. 196.

C III.

Denique stolidarum quarundam muliercularum morem præposterum improbamus, cum ex mera quandoque superbia & fastu, aquam rosaceam, vel alium liquorem extractum loco aquæ Elementaris in Baptismo adhibent.

C IV.

Materia *Invisibilis*, pars videlicet Sacramenti hujus ἄσισιῶδης & substantialis altera, est *verbum Mandati* (τὸ ἐπιτάγμα) quo Deus hoc Sacramentum instituit, expressum præcipuè Matth. 28: 19. *Et promissionis* (τῆς ἐπαγγελίας) Marc. 16: 16.

C V.

Idem suo calculo comprobat Apostolus Eph. 5. 26. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit

dit pro ea: ut illam sanctificaret, mundans eam lava-
cro aquæ in V E R B O.

C V I.

Hinc rectè *Augustinus*: Tolle verbum, & quid
est aqua, nisi aqua? Accedit enim verbum ad Ele-
mentum, & fit Sacramentum. In Joh. Tract. 80.

C V I I.

Ac in hac doctrinæ parte è Scripturis divinis af-
fertæ, chorum omnium Orthodoxorum Patrum
ὁμότητον habemus.

C V I I I.

Cum primis verò nervosè graviterq; *Lutherus* è
Scripturis hac de doctrina differit, dicens: Baptismū
non esse aquam simplicem, sed ejusmodi, quæ verbo
& præcepto Dei comprehensa, & illi inclusa sit, & per
hoc sanctificata, ita ut nihil aliud sit, quàm Dei seu di-
vina aqua, non quod aqua hæc per se se quavis alia sit
præstantior, sed quòd ei verbum ac præceptum Dei
acceserit. Catech. Major.

C I X.

Et mox: Verbum Baptismi partem nuncupans
dicit: Quis adeò væcors & inops animi est, qui hoc
ignoret, divulsis Baptismi partibus aquam esse a-
quam? Qua verò fronte tu (Anabaptistarum sectam
notat) tibi tantum sumis, ut non verearis ab ordinati-
one Dei preciosissimum κειμήλιον avellere, quo Deus
illam constrinxit & inclusit, neq; inde divelli vult aut
sejungi? Quippe verbum Dei aut præceptum, item
nomen Dei in aqua, ipse solet esse nucleus, qui the-
saurus ipso cælo & terra omnibus modis nobilior est
& præstantior.

C X. Ibid.



C X.

Ibid. Ipse Deus Baptismum suo honestat nomine, suaq; virtute confirmat. Eam ob rem, non tantum naturalis aqua, sed etiam divina, cœlestis, » sancta, & salutifera aqua, quocunq; alio laudis titulo » nobilitari potest, habenda & dicenda est: hocq; non » nisi verbi gratia, quod cœleste ac sanctum verbum est, neq; à quoquam satis ampliter, dignè & cumulata laudari potest.

C X I.

Et paulò pòst: Iterum atq; iterum repetens moneo, ne hæc duo VERBUM & AQUAM, ullo modo disjungi atq; divelli patiamur. Separato enim inde verbo, non alia est aqua atq; illa, qua in culina ad elixandas carnes culinæ præfecta utitur, potestq; non malè balneatorum dici Baptismus. Cæterùm conjuncto verbo, sicut CHRISTUS ordinavit & instituit, tum Sacramentum est, ac CHRISTI Baptismus dicitur.

C X II.

Concludimus igitur AQUAM & VERBUM, tanquam partes hujus Sacramenti *συσχευηκὰς ἢ καὶ ἁσιώδεις* ita Sacramentali unione conjungi, ut aqua sine verbo, & vice versa, verbum sine aqua, Baptismi rationem neutiquam obtineant, nec id nominis mereantur: Sed AQUA & VERBUM *ἐνώσει* atq; unione Sacramentali simul juncta, Baptismi *τὸ εἶναι* sive *πὰς ὑλινὰς αἰτίαις* absolvunt & constituunt.

C X III.

Cæterùm, disceptatur h. l. *Utrum sanguis Christi, an verò Spiritus S. vel etiam utrumq; simul, ad substantiam*

tiam, hoc est, ad substantialem, atq; sic ὑλικῶς hujus Sacramenti partem, referatur. Idq; hoc pacto: ut, quemadmodum pani & corpori, vino & sanguini, in cœna Dominica, sic aquæ & sanguini Christi vel Spiritui S. vel etiam aquæ, & sanguini atq; Spiritui S. simul, unio Sacramentalis intercedere dicatur. Breviter καὶ συντόμως εἰπῆν: Utrum sanguis Christi vel Spiritus sanctus vel etiam utrunq; simul partem alteram, cœlestem nimirum, ὑλικῶς, in hoc Sacramento, constituat.

CXIV.

Ἦος, quandoquidem ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαίνοντων λόγων retinenda; non κενολογία duntaxat, verum etiam καινολογία vitanda (qua data tum in terminis novis tum in phrasibus, teste experientia, stultorum Magistra, errores subinde magis magisque in Ecclesia pululant ac cumulantur) Et verò, neq; in Scriptura ipsa neq; in Orthodoxorum Patrum, Lutheri cum primis ac prædecessorum piorum scriptis, ejusmodi loquendi formulæ occurrant ac legantur: *Negativam hinc tenemus*, in simplicitate ea acquiescentes, quæ Thesibus proximè præcedentibus è Scriptura, Orthodoxis Patribus, præcipuè D. Lutheri Catechismis tum Minori tunc Majori asserta fuit.

CXV.

Interim tamen non hoc contendimus, quasi vel sanguis Christi, vel Spiritus sanctus à sacratissima Baptismatis actione absint? Minimè gentium.

CXVI.

Quod ut liquidiùs pateat, distinctè materiam istam integram persequemur, ita ut 1. de sanguine Christi. 2. De Spiritu sancto agamus, monstraturi,
D Deo

Deo duce, quomodo unumquodq; ad Baptismum referatur.

C X V I I.

Ad *sangvinem* CHRISTI quod attinet, consideratur is, vel substantiæ, vel meriti atq; efficaciam ratione.

C X V I I I.

Ratione substantiæ sangvinem Christi adesse, nemo pius in Ecclesia Orthodoxa dubitat; cum jam in throno solioq; Majestatis divinæ sedens, creaturis omnibus absq; ullis locorum, *διασήμασι* præsentissimus regnet ac dominetur.

C X I X.

Tenendum hinc, *ὡς ἐν παρόδῳ*, fumos vendere *Calvinistas*, & nil nisi *βωμολοχάματα* garrere, dum sangvinem Christi ad Baptismi substantiam, tanquam partem alteram, cœlestem nimirum, requiri clamitant: quandoquidem non sangvinem ipsum, sed ejus duntaxat significationem asperzione aquæ notatam intelligentes, Christum secundum Humanitatem, jamdudum in cœlum Empyreum ad extremum usq; diem deportarunt.

C X X.

Quod si porro sangvinem Christi ratione meriti atq; efficaciam consideraverimus, ejus asperzionem sive applicationem in Baptismo promissam esse, neutiquam ambigimus.

C X X I.

Hinc *Augustinus*, Sangvine Christi rubere Baptismum dicit. Tract. in Johan. II.

C X X I I.

Quem locum citans, Theologus gravissimus,
Joachi-

Joachimus Westphalus, ita scribit: Decet Christianos
intueri merita sanguinis Christi, quæ in Baptismate
dispensantur, & intelligere, quasi tinctum esse sangvi-
ne Christi: ut præclare dictum est ab Augustino, Tra-
ctat. II. in Joh. sanguine Christi rubere Baptismum.
Nam verbum promissæ salutis additum est Baptismo,
quod complectitur, offert & distribuit parta Christi
sanguine merita ac beneficia. Preciosus sanguis Chri-
sti facit Baptismum preciosum, salutarem & ita effi-
cacein, ut Baptismo ablui idem sit, quod lavari &
mundari sanguine Christi. Unde ait Johan. in Apoc.
Eos, qui baptizati sunt in Christum, sanguine Christi
lotos esse. Apoc. 1: 5. 5: 9. 7: 14. Hebr. 9: 14. 1. Joh. 1:
7. 1. Petr. 1: 19.

De Bapti-
smo fol.
211.

CXXIII.

Et paulò post: Quanquam Baptismus ex insti-
tutione Domini celebratur in aqua: Non vult tamen
sanguinem separari à Baptismo, nec permittere, ut
Baptismus reputetur pro vulgari lavacro, sed pro sa-
lutari & efficaci rubente Christi sanguine, efficaciter
purificante animas, quia in Baptismo *adest virtus pas-
sionis Christi*, & omnium peccatorum remissio ex me-
rito sanguinis Christi. Haët. Westph.

CXXIV.

Præclare cum primis hac de materia Megalan-
der *Lutherus*, cujus verba (quia ἀξιόλογα καὶ ἐμφανέ)
hic integra ascribere me haud pigebit: Das Blut
Christi wirdt freffriglich in die Wassertauff gemengee /
daß man sie nun also nicht soll ansehen noch halten für
schlecht lauter Wasser / sondern als schön geserbet / vnd
durchrötet / mit dem theuren rosenfarben Blut des lie-
ben

Postill.
Ecclef.
part. 3. P.
34.

ben Heylands Christi. Das es nicht heisse / ein gemein
Wasserbad / wie Moses oder der Vader geben kan / son-
dern ein heilsame Bluttauff / oder Blutbad / welches als
lein Christus durch sein eigen Todt zugerichtet hat.

CXXV.

Idem in Cantione Ecclesiastica: Das Aug als
lein das Wasser sihet / wie Menschen Wasser giessen:
Der Glaub im Geist die Krafft verstehet / des Blutes
Jesu Christi / vnd ist für ihm ein rote Blut von Christi
Blut gefärbet / ꝛ. Quò pertinet & illud Tom. 4. in
Gen. Cap. 49. Non malè dicitur, nos baptisari, ab-
solvi in sanguine, vel virtute sanguinis Filii Dei. Ha-
bent enim efficaciam suam Sacramenta ex vulneri-
bus & sanguine Christi. p. 228.

CXXVI.

Et hæc de sanguine Christi dicta sufficiant: *Spi-
ritum sanctum*, porro, quoad Essentiam, ut & reliquas
in Deitate personas, adesse, & hoc respectu ad Bapti-
smum pertinere, nemo nisi insanus *non adest*, in du-
bium vocaverit.

CXXVII.

Verùm, duobus insuper modis in Baptismo con-
currit. Primò quidem ut causa operans regeneratio-
nem & salutem. Joh. 3: 5.

CXXVIII.

Sic *Augustinus*: In colloquio cum Nicodemo ha-
bito Christus aquam intellexit de Baptismo, cùm di-
stinctè aqua per se, & Spiritus itidem sit nominatus.
Spiritus quidem ut autor & Effector regenerationis:
Aqua verò ut organum, per quod regenerat Spiritus
sanctus. Super Epist. Canon. Tract. 6.

CXXIX. Idem

CXXIX.

Idem alibi : Aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, regenerat hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum. Epist. 23. ad Bonifac.

CXXX.

Deinde, ut σφραγίς, pignus & arrha τῆς ἰοθησίας, quam fœdus Dei semper sibi adjunctam habet. 2. Corinth. 1: 22. Ephes. 4: 14.

CXXXI.

Quocircà, breviter ita præsentem finimus controversiam : Nec sanguinem Christi, neq; Spiritum sanctum propriè dici posse partem ὑλικῶν cœlestem, sive partem ἁσώδη Sacramenti hujus alteram, prout in cœna Dominica corpus & sanguis Christi partem alteram, cœlestem nimirum, ἐνώσει Sacramentali, cujusmodi hîc in Baptismo nulla datur, constituunt.

CXXXII.

Materia sequitur, Impropriè ita dicta, *Circa quam, sive Objectum*, uti vulgò nominant: quinam baptizandi sint; nimirum, omnes sine ullo personarum respectu, GENTES: qua vocula intelliguntur & *Infantes & Adulti.*

CXXXIII.

Infantes sunt vel *Christianorum & fidelium*; vel *Infidelium*, Judæorum, Turcarum &c. & omnium extra Ecclesiæ gremium constitutorum.

CXXXIV.

De illis, Baptismate tingendis, nemo nostris in Ecclesiis ambigit: Hos quoq; si in infantili ætate ante discretionis annos offerantur Ecclesiæ, vel à paren-

tibus (conversis) vel aliis Christianis, qui ipsorum loco spondeant, sacro ejusmodi lavacro donandos esse, omnino statuimus.

C X X X V.

Neq; hinc exclusos volumus nothos sive spurios, aut incestuoso concubitu procreatos; nec monstrosos partus, qui tamen è diversarum specierum commixtione ortum non trahant suum; & hominis formam aliquo modo representent.

C X X X V I.

Deniq; eos etiam huc relatos volumus, de quorum Baptismo dubitatur: adeò, ut infantibus etiam inventitiis, quos vocant, Baptismum conferendum statuamus, si maxime schedula quædam adjecta, nulla testium adhibitorum factâ mentione, clam baptifatos eos esse asserat.

C X X X V I I.

Improbamus h. l. *Pontificiorum* errorem, docentium, eum, de quo incertum est, an baptifatus fuerit, sic baptizandum esse: Si baptizatus es, te iterum non baptizo: si verò nondum baptizatus es: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Catechism. Rom. de Baptis. Quæ conditio ideò modis omnibus cavenda est, ne & præcedens & subsequens Baptismus dubius reddatur & incertus. Et hinc locum habere debet pia illa vetustatis Regula: *Non potest dici iteratum, quod ita nescitur esse factum.*

C X X X V I I I.

Quod si contingat etiam, ut in necessitatis casu, Baptismo adhibito, mulierculæ trepidantes affirmant, nescire sese, quid egerint; quâ materiâ, vel formâ

mâ

mâ verborum usæ fuerint: tum sine mora curiosave
inquisitione Ministros infantem in Ecclesia baptisare
& posse & debere, statuimus.

CXXXIX.

Sic enim quietâ demùm pacataq; conscientia
fruetur is, qui coram Ecclesia, adhibitis testibus, ba-
ptisatus est, inq; tentationum æstu, quod Satanæ for-
titer opponat, habebit.

CXL.

Dum infantes dicimus baptizandos, eos utiq;
intelligimus, qui (vivi) hanc in lucem sunt editi: Un-
de solutio patet *Questionis illius; Num infans, quem
mater totum eniti nequit, aquâ in nomine sacros. Trinitatis,
aspergendus sit, necne: siquidem renasci sive regenerari,
nisi qui prius natus sit, non potest. Joh. 3: 5.*

CXLI.

Hinc *Isidorus: Qui in maternis uteris sunt, ideò
baptizari non possunt: quia, qui natus adhuc secun-
dum Adam non est, secundum Christum non potest
renasci: neq; regeneratio de eo dici potest, quem
generatio non præcessit. lib. i. de sum. bon.*

CXLII.

*Augustin. ad Dardan. Epist. 57. Non potest
quisquam renasci antequam natus sit. Lombard. lib.
4. dist. 6. §. 2.*

CXLIII.

Assertionem istam nostram de Pædobaptismo,
è Scripturis divinis, sic astruimus:

*Quicquid nititur mandato divino & autoritate Aposto-
lica, accedente insuper testimonio primitivæ Ecclesie: Id-
ipsum ἀναμφιδόξως καὶ ἀναμφιβόλως tenendum & ap-
probandum.*

Bapti-

Baptismus infantum nititur mandato divino, auctoritate Apostolica, & accedit insuper testimonium primitiva Ecclesia. E.

CXLIV.

Major est ἀναμφοισβήτη. Minoris membrum *primum* patet ex Mandato Servatoris universali, à quo certè infantes excludi nulla ratione queunt: Euntes, docete OMNES GENTES, baptifantes eos in nomine Patris, filii & Spiritus sancti. Matth. 28: 19. Itemq; Marc. 16: 15: 16. Prædicate Evangelion universæ creaturæ. Qui crediderit & baptifatus fuerit, salvus erit &c. Marc. 16: 16. Sinite parvulos (τὰ παιδία) ad me venire. Talium enim est regnum cælorum. Johan. 3: 5. Nisi quis renatus fuerit ex AQUA & Spiritu &c. Eph. 5: 26. Christus mundat Ecclesiam lavacro QUÆ in verbo.

CXLV.

Membrum *secundum* confirmatur ex Actor. 10: 47. Cap. 16: 15: 33. Et 1. Cor. 1: 16. Unde Infantes etiam ab Apostolis baptizatos esse, manifestè colligitur.

CXLVI.

Ubi meritò subjungimus & illud 1. Johan. 2: 13. & 14. γράφω ὑμῖν (1) πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπὸ ἀρχῆς. γράφω ὑμῖν (2) νεανίσκοι, ὅτι νενικήκατε τὸν πονηρὸν. γράφω ὑμῖν (3) παιδία, ὅτι ἐγνώκατε τὸν πατέρα. Quod si ergò παιδία, Infantes (die Kinder) agnoverunt Patrem, sequitur eosdem baptizatos fuisse & credidisse. Luth. post. Ecclesiast. part. 1. fol. 184. b.

CXLVII.

Deniq; Patrum testimonio idipsum liquet. Sic enim

enim *Origenes* 6. C. ad Rom. Itaq; & Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi, quibus secreta divinorum Mysteriorum commendata fuerunt, quòd essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum aboleri deberent.

August. de Baptism. contr. Donatist. lib. 4. de Baptism. parvulor. Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum, rectissime creditur.

Idem lib. 3. de Baptism. parvul. Baptismum parvulorum more piissimo atq; materno, universa frequentat Ecclesia. Testimonia plura ex *Augustin.* lib. 10. de Genes. ad literam Cap. 23. *Cyrillo* in Levit. lib. 8. cap. 8. &c. Vide apud *Westphal.* de Baptif. pag. 45.

CXLVIII.

Ex *Ætias* addimus & hunc Syllogismum:
Ad quoscunq; pertinet promissio fæderis, ad illos etiam sigillum obsignatioq; fæderis pertinebit.

Atqui promissio pertinet etiam ad Infantes, Genes. 17: 10. interprete Petro Act. 2: 38 & 39.

E. Sigillum quoq; quod est Baptismus.

CXLIX.

Præterea: *Si Infantes in V. T. rectè circumcidi poterunt: utiq; Infantes etiam Novi Instrumenti rectè baptizabuntur.*

Ratio Connexionis est hæc: quòd Baptismus abrogatæ Circumcisioni successit, asserente Apostolo Col. 2: 11.

E

Atqui

*Atqui verum primum.
Igitur & secundum.*

C L.

Damnamus ergò *Anabaptistarum* furorem, dum Infantes adeoq; neminem ante discretionis annos, ubi, per auditum verbi demùm, fidem conceperint, ad sacram illud lavacrum admittunt, & sic Pædobaptismum simpliciter execrantur, penitusq; abolendum contendunt.

C L I.

Colophonis loco *Questionem* illam *συντόμως* explicabimus, qua quæritur: *Num Infantes, decedentes ex hac vita ante acceptum Baptismum, salventur, necné?*

C L I I.

De infantibus extra Ecclesiæ pomœria constitutis hîc non disceptatur, quos, si Ecclesiæ non inferantur, simul omnes damnari, extra dubitationis aleam est positum.

De fidelium verò & piorum Christianorum liberis ita statuendum est: Si parentes pii, unâ cum Ecclesia, infantem nondum natum, precibus suis commendant DEO; tum preces ejusmodi ardentes à DEO exaudiuntur, prolesq; in necessitatis articulo Baptismate destituta, purgatur & sanctificatur, nec damnationi sempiternæ subicitur. Matth. 18: 19.

C L I I I.

Habet enim hîc locum Theorema illud Theologicum: *Contemptores Sacramentorum privantur gratiâ Sacramentorum.* Vel, ut aliâs dici solet: *Contemptus Sacramenti damnat, non privatio.*

C L I V.

Sic intermissio Circumcisionis puerorum annis

40. in

40. in deserto non obfuit illis, quò minùs falvarentur, propter difficultatem videlicet itineris in casu necessitatis.

CLV.

Idem exemplum masculorum in Ægypto comprobatur, qui mox à partu conquirebantur & in flumen projiciebantur magno numero incircumcisi: Neq; tamen damnatos eos fuisse, quisquam facile dixerit.

CLVI.

Sic multi olim Catechumeni ante Baptismum ad mortem abripiebantur: Multi sub Tyrannide Antiochi Judæorum liberi incircumcisi debebantur: In quibus tamen Spiritus S. suo arcano modo, fidem, ut in Baptista, excitare potuit, ne cum infidelibus damnarentur.

CLVII.

Improbamus ergò figmentum illud humanum, pias conscientias non probè institutas vehementer perturbans & concutiens graviter, quo docetur à *Pontificiis*; Infantes à parenribus non neglectos, sed casu inopinato sine Baptismo morientes, neq; beatos, neque miseros, sive in cruciatu: sed loco quodam medio constitutos esse, ubi illis neq; aspectu Dei (hem, nullam miseriam!) frui liceat, neq; tamen pœnis æternis subjaceant. In qua etiam opinione fuit olim Augustinus lib. 1. de peccat. mer. & remiss. Cap. 15. ita scribens: Rectè dici potest, parvulos sine Baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Idem sentit Lombard. lib. 4. dist. 4. §. 5. Et, lib. 4. dist. 1. §. ult.

CLVIII.

Tantum de Infantibus: Sequuntur *Adulti*, quorum *alii* primitias Spiritus S. acceperunt, ut Eunuchus, Act. 8: 37. Cornelius, Act. 10: 2: 47. Lydia, Act. 16: 14: 15. *Alii* profitentur duntaxat ore religionem Christianam, tenentq; articulorum Fidei cognitionem, licet sint Hypocritæ, ut in Simone Mago videre est. Act. 8.

CLIX.

Hos simul omnes, Baptismum petentes, ab eodem minimè repellendos esse, ducimus.

CLX.

Sub quorum censu Conjuges quoq; , maritos & uxores, intellectos volumus, quemadmodum præter mandatum universale exempla confirmant Apostolica. Act. 10: 47. 11: 17. 16: 33.

CLXI.

Erravit ergò *Marcion* cum complicibus, qui conjugatos ad Baptismum neutiquam admittendos esse contendebat: sed virgines duntaxat, viduas, ac cœlibes, aut divortio à viris separatas; quiq; matrimonio ejusq; fructui renunciaissent. Vid. Cent. Eccles. 2. Osiand. p. 93.

CLXII.

An furiosi porrò & amentes, sacro ejusmodi lavacro initiandi, quæri solet. Distinctione adhibita paucis nos expediemus. Furiosi vel à prima nativitate tales sunt, unde habendi pro infantibus, ideoq; baptisandi: Vel certo saltem tempore, per intervalla, furore corripiuntur: Unde ex voluntate ipsorum, dum sanæ mentis sunt, judicium faciendum esse arbitramur.

CLXIII. De-

Deniq; *an Mulieres baptisanda sint*, à nonnullis in dubium vocatur.

Generali mandato, suprà citato, easdem contineri, satis superq; patet. Cui accedunt 1. Remotio discriminis sexus in Nov. Testamento, Galat. 3: 28. Col. 3: 11.

2. Exempla Apostolica manifestissima Act. 8: 12. *Εβαπτίζοντο ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες*, baptizabantur viri juxtà & mulieres. Sic, Baptizatur Lydia. Act. 16: 15. &c.

3. Universam Ecclesiam sanctificare Christus dicitur, mundatam lavacro Aquæ per verbum. Eph. 5: 26. Non ergò hinc secludendæ fœmellæ, ne ab Ecclesiæ communionem, quod absit, arceri videantur; quas *συγκληρονομία χάριτος ζωῆς* Petrus nuncupat. 1. Epist. Cap. 3: 7.

4. Indivisam Ecclesiæ communionem recensens Apostolus, unum DEUM, unam fidem, unum Baptisma OMNIUM esse dicit. Ab ista ergò communionem mulieres repellendas esse nemo sanus judicaverit.

Quæstiones insuper duæ hîc nobis expediendæ restant. I. Quid de eorum Baptismo sentiendum sit, qui primitias Spiritus S. jam acceperunt: Num Regeneratio ibidem locum habeat, an verò secus?

Respond. Etsi in illa Baptismi actione non demùm regenerantur (siquidem jam antè conversi sunt, proindeq; per verbum renati) Mediante tamen Baptismo, beneficium regenerationis in illis confirmatur,

cur, Spiritusq; divini gratia locupletatur, & sic donorum Spiritus S. incrementa eis conferuntur, quæ cum regeneratione sunt conjuncta, quemadmodum in Eunucho, Cornelio, Lydia &c. videre licet.

CLXV.

Hinc *August.* Homil. 74. super Johan. Fidem, quæ fideles facit, in aquis Baptismi dari scribit vel nutriri: quia non habenti aliquando ibi datur, & jam habenti, ut plenius habeat, datur. Qui ergò mundus accedit, ibi fit mundior, & omni habenti Matth. 25. ibi amplius datur. Lombard. lib. 4. dist. 4. §. 5.

CLXVI.

II. *Num Hypocritarum Baptismus verè Lavacrum regenerationis dici queat*, majorem accuratioremq; indaginem requirere videtur.

Resp. Baptismum lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu S. reverà esse, sive baptizandus, vel jam baptizatus, credat sive non credat. Sic ergò hypocrysi laborantes verè & realiter non aquæ duntaxat, sed, ordinationis divinæ respectu, veri lavacri regenerationis & renovationis participes fiunt, & Christum per Baptismum, assumptione Sacramenti, induunt, & in fœdus Dei cooptantur: quo nomine etiam, in cœtu Christianorum tolerantur, quamvis fructu ejus penitus priventur & minimè regenerentur.

CLXVII.

Ideoq; diligenter inter substantiam & usum seu fructum Sacramentorum distingvendum esse, monemus.

CLXVIII.

Et hæc causa est, cur postea per veram pœnitentiam

tentiam ad Christum; conversi non rebaptisentur, nimirum, quia verum & integrum Baptisma perceperunt, neq; vocatio & dona Dei sunt ἀμετάλητα. Roman. 11: 29.

CLXIX.

Hinc non ineptè *Lombardus*: Nec mireris, rem aliquando præcedere Sacramentum, cùm aliquando etiam longè post sequatur, ut in illis, qui fictè accedunt: quibus, cum postea pœnituerint, incipiet Baptismus prodesse. lib. 4. dist. 4. §. 7.

CLXX.

Hæc de vero Baptismi Objecto: *Falsum*, quod confingunt *Pontificii*, disertè improbamus; dum campanas baptifandas esse somniant in nomine Patris &c ut sint immunes à potestate Satanæ: nec non Paternos adhibent, magnamq; pompam atq; sumptus instituunt. Baptifationes item Altarium: Templorum dedicationes &c. ceu meras præstigias repudiamus, interq; traditionum humunarum quisquiliis referendas esse judicamus.

CLXXI.

Hucusq; de Materia: succedit *Forma*.

CLXXII.

Hic verò occurrunt, quæ vel *Necessaria* sunt, & ad substantiam Sacramenti hujus pertinent, nullatenus omittenda: Alia verò ἀδιάφορα, sive ritus *Adiaphorici*, qui (si absit scandalum, aut fidei sincerioris Confessio non edenda) vel retineri possunt vel omitti.

CLXXIII.

Necessaria esse dicimus. 1. *Recitationem*, verborum Institutionis. 2. *Immersionem* sive aquæ asperisionem.

CLXXIV. Ver-

C L X X I V .

Verba Institutionis sunt hæc: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Quorum sententia huc redit: Ego Minister hoc ipso ritu testificor in nomine hoc est, mandato divino, te, qui ita baptizaris, hoc ipso lavacro regenerationis ablui à peccatis ac recipi à vero D E O in gratiam, qui est pater æternus Domini & Servatoris nostri Jesu, & Filius, & Spiritus sanctus, adeoq; recipi te propter Filium, & sanctificari Spiritu S. ut sis hæres vitæ ac salutis sempiternæ.

C L X X V .

Hinc legitimè baptizati, à D E O Patre, Dei filii; à Christo, Christiani; à Spiritu sancto spirituales dicimur: ut nimirum Deo gratum præstemus obsequium.

C L X X V I .

Quemadmodum ergò verba ista Baptismi promissionem ac consolationem suavissimam nobis suppeditant: Ita vicissim fidem efflagitant & obligationem ejusmodi, quâ hunc unum verum D E U M, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus agnoscamus & invocemus: Contrà verò omnia commentitia numina fugiamus & execremur.

C L X X V I I .

Quæri hîc solet. I. *Utrum mutare liceat Verba Institutionis, necne?*

Respond. Si mersus quis fuerit in fontem Baptismi sine invocatione SS. Trinitatis, verus ille Christianus non est, nisi in nomine Patris, Filii & Spiritus S. fuerit baptizatus. Quod verò in Actibus Apostolicis legitur, Apostolos baptizasse in nomine J E S U
sive

sive Christi, id Ambros. (lib. 1. de Spir. S. Cap. 3.) de
tota Trinitate exponit. Cùm enim Christum dicis,
& Pater, à quo unctus est, intelligitur, & ipse, qui un-
ctus est, & Spiritus S. per quem unctus est. Lombard.
lib. 4. distinct. 3. §. 2. Atqui compendiosa narratione
Lucam contentum fuisse, neq; Apostolos à præscri-
ptâ per Christum formulâ discessisse, statuimus: Ideo-
què eâdem nobis quoq; standum esse concludimus.

CLXXVIII.

II. *Num IN NOMEN, an verò IN NO-
MINE Patris, Filii &c. dicendum.*

R. Utranq; formulam reperiri in scripturis.
Prior illa (*εις τὸ ὄνομα*) usurpata legitur Matth. 28: 19.
1. Corinth. 1: 13. Posterior verò (*ἐν τῷ ὀνόματι*)
Act. 2: 38. 10: 48. Usus hodiè in Ecclesia tota ita ob-
tinuit, ut dicatur: *Baptizo te IN NOMINE &c.*
Locutio altera minùs usitata est. Unanimiter itaq; in
pace, recepta usuq; comprobata consuetudo retinen-
da est, & baptifandum IN NOMINE. &c. Nihil hïc re-
novari à quoquam, neq; ea de re contendì debet, uti
rectè monet Westph. de Baptif. p. 30.

CLXXIX.

III. *Num Baptismus ratus sit habendus, si in ver-
borum istorum recitatione, litera aliqua vel syllaba immu-
tetur?*

R. Si sensus maneat integer & incorruptus,
neq; ex petulantia vel de industria aliquid corrup-
patur: Baptismus ejusmodi pro vero & legitimo ha-
bendum esse. Sic: Zacharias Pontifex, ratum habu-
it Baptismus, quem Sacrificulus quidam per insi-
gnem ruditatem, ac lingvæ Latinæ ignorantiam cras-
sissimam,

F

sissimam,

ssimam, *in Nomine* (ut habet Editio Lugdunensis, anni: 1591.) *Patria, Filia, & Spiritu sancta*, contulerat: reprehendens Bonifacium, quòd ejusmodi rebaptisârat. Vid. Decret. part. 3. dist. 4. c. 86.

CLXXX.

Errârunt ergò 1. *Marcus Hereticus* (Valentini discipulus) suis cum sectatoribus, qui in ignotum Deum, vel nomine ignoti Patris omnium: in veritate matris omnium: & in nomine descendentis Jesu ad unctiorem & redemptionem, & communionem virtutum, baptizarunt. Osiand. Cent. 2. fol. 41. & 42. Id quod & Gnosticis à nonnullis tribuitur.

2. *Ariani*, qui cùm nihil crederent aliud, quàm in Patrem, solum verum DEUM, in Jesum Christum Salvatorem & creaturam, & in Spiritum S. utriusq; servum, in horum nomine Baptismum dispensabant. Quin & in solius Filii nomine Baptismum administrari posse Arius asseruit. Osiand. Cent. 4. p. 96.

3. *Paulianista, Cataphryges & Bonosiani*, qui non in Trinitatis nomine baptizabant; siquidem & illi Christum Dominum non credebant: ac Spiritum S. quendam pravum hominem Montanum credebant. Decret. part. 3. dist. 4. c. 84.

4. *Eunomiani*, qui in nomine Patris increati, & Filii creati, & Spiritus S. sanctificantis, qui à Filio creatus sit, baptizabant. Hi simul omnes cùm ad sanctam Ecclesiam veniebant, rebaptizabantur. August. libr. de Hæresib. cap. 49. Concil Nicen. Can. 19. Decret. part. 3. dist. 4. c. 84.

5. *Zwinglius*, non esse necessariam ullam certam verborum formulam asserens. lib. de vera & fals. relig. Cap. de Baptif.

CLXXXI.

CLXXXI.

Immersio porrò sive aquæ aspersio est necessaria propter mandatum Christi: *Baptizate.*

CLXXXII.

Quæstiones hîc duæ de Immersionis modo explicandæ veniunt. I. *Num immersio totalis sive corporis totius esse debeat?*

Respond. Adiaphoron esse, ut baptizandus vel aquis immergatur totus, vel guttis saltem aspergatur in nomine S. Trinitatis. Sic ergò ablutio fieri potest vel in toto corpore, vel in digniore parte, videlicet capite, id quod in multis Ecclesiis reformatis observari consuevit. Qua in parte non dissentit Comp. Theol. verit. l. 6. c. 9. p. 434. CLXXXIII.

II. *Num una, bina vel trina, ista debeat esse immersio?*

Res. Et hoc esse ἀδιαφοροῦν: Ita ut vel semel, vel ter, pro vario more Ecclesiæ fieri possit. Nobis tamen iterata, hoc est, trina, maximè probatur, aquæ aspersio: quæ voculæ Græcæ (βαπτίζω, ut & Syriacæ: ܒܘܨܝܘܢ) proprietate καὶ ἐμφάσει, haud obscure astrui posse videtur. Non autem in una fide officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa. Quia enim in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo ter vel semel immergere: quia & in tribus immersionibus, personarum Trinitas; & in una potest Divinitatis singularitas designari. Lombard. lib. 4. dist. 3. §. 9. Vid. etiam Decret. part. 3. dist. 4. c. 81 & 82.

CLXXXIV.

Hîc de Ritibus quoq; Adiaphoricis, & Circum-

F 2

stantiis

stantiis nonnullis quæri potest: videlicet, de Patrinis & Exorcismo: De Tempore & Loco Baptismi administrandi. Quæ omnia, quoad ejus fieri potest, paucissimis perstringemus.

C L X X X V.

Patrini, aliàs Compatres; Susceptores; Fidejussores; Sponsores: Mulieres verò Matrinx, vulgò appellantur: Quorum usus ab Higinio, Episcopo Romano (8) circa annum Domini 140. introductus esse putatur. Osiand. Cent. 2. pag. 36.

C L X X X V I.

Horum officium est. 1. *Orare*, ut Infantes propria per Baptismum ornentur fide. Non enim sine fide esse, vel in fide alienâ baptizari possunt. Hab. 2: 4. Rom. 1: 17. Hebr. 11: 6. Et hîc diligenter notari cupimus illud Megalandri Lutheri: Ich besorg / daß darumb die Leut nach der Tauff / so vbel gerathen / daß man so kalt vnd lesig mit ihnen vmbgangen / vnd so gar ohne Ernst für sie gebeten hat in der Tauff. præfat. in Agend. Baptif. Corp. Thuring. p. 27.

2. *Spondere* loco infantum & respondere. Ubi simul Christi, supremi Advocati nostri personam representantes, de Infantibus testificantur; eosdem placere Christo, & ab eo minimè repellendos esse, secundum illud Marc. 10: 14. Sinite parvulos ad me venire &c.

3. *Instituere* eosdem in Capitibus pietatis, mortuis parentibus, vel eò maximè, quòd seipfos propria voluntate sua ad id obstrinxerunt & alligârunt. Sic n. gratissimum se cultum Deo præstare noverint: si, infantes, parentib. orbatos, ipsi in fide vera erudiri, sanctaq; disciplina custodiri curaverint.

C L X X X V I I.

Hinc duarum Quæstionum patet solutio; *AN* nimirum, & *Cur* adhibendi susceptores: Quæritur ulterius, *Quotnam ad celebrationem Baptismi deligendi sint & invitandi?*

R. Quibusdam in Ecclesiis unus, in aliis duo, in nonnullis tres adhiberi solent: Standum autem Ecclesiæ cujusq; more ac consuetudine esse arbitramur. Posterior nobis maximè probatur numerus, *ternarius* nimirum, si Ecclesiæ consuetudo ita ferat: Non tantum (1) ad designandum SS. Trinit. Mysterium: verum etiam (2) ob Baptismi certitudinem atque testimonium baptizato perhibendum: Idq; propter impiam potissimùm *Anabaptistarum* colluviem, qui dubium faciunt Baptismum & rebaptizant: quia adultos, ablutos olim in infantia, ignorare an baptizati sint necné, fideiq; expertes esse, criminantur.

Deniq; (3) ut majore cura, mortuis parentibus, itemq; uno vel altero Patrino è vivis sublato, infans educari, inq; pietati Capitibus institui possit & informari.

Quanquam a. personis Illustribus hîc indulgendum aliquid videtur, dum nō ternarium duntaxat sed septenarium quoq; excedunt quandoq; numerum: Attamen, non possumus non vehementer improbare *κακοήθειαν* illam, qua nonnulli interdum ex ordine Equestri, non decem, non quindecim, non viginti, sed longè plures etiam Infanti susceptores legunt, sacrosanctum hujusmodi lavacrum iu pompam merè theatricam commutantes: quos à superiori Magistratu,

(si ita flagitet necessitas) in ordinem cogendos esse
statuimus. I. Cor. 14: ult.

C L X X X I X.

*Qui & quales cooptandi Patrini explicandum h. l.
restat.*

R. Non impii, non adulteri, non stupratores,
ebriosi, aliisque flagitiis infames, quos ne quidem LL.
testimonium ferre sinunt in rebus civilibus: Non di-
versæ religionis homines, ceu sunt: Pontificii, Sacra-
mentarii Calvinistæ, aliiq; Swermeri, quocunq; tan-
dem veniant nomine. Quomodo enim orabunt pro
parvulis ipsimet nulla fide præditi? quomodo place-
bit oratio non petentium in fide? quomodo profite-
buntur fidem fide vacui?

C L X X X X.

Pii ergò, atq; sinceræ religioni addicti ad tam sa-
cro sanctam actionem sunt exorandi. Idq; ideò, 1. ut vi-
tetur scandalum in Ecclesia.

2. Ne veritatis divinæ hostibus colludere velle
in religionis negotio videamur.

3. Patrinatorum officium est, instituere in pietate
religioneq; sincera eos, pro quibus in Baptismo fide-
jusserunt. Quod cum non præstent Sectarii & fana-
tici, meritò ab ejusmodi actione sacratissima sunt ar-
cendi.

4. Idipsum in Baptismi contemptum cederet,
atq; contumeliam.

5. Demonstrandum Ecclesiæ, in quam fidem
baptizetur infans. Quod si ergò perversæ fidei asse-
cla adhibeatur, quæ is de incorrupta testabitur religio-
ne, quam toto pectore execratur & damnat?

6. De-

6. Deniq; , cùm nulla cogat necessitas, alienos à religione nostra seligere: meritò, si quis relictis aliis, fruges nostros in usus convertamus.

C L X X X X I.

Tantum de Patrini: *Exorcismus* in sinceris quibusdam, sine omni superstitione, retinetur Ecclesiis: In aliis verò jamdudum exolevit & abrogatus est. Cōfitemur a. Ecclesia adjuratione ista atq; jussione, homines, propter peccatum esse sub regno & potestate Satanæ; remissis verò peccatis in Baptismo, transferri in regnum Christi. Et habet adjuratio ista Exorcismi rationem in his verbis Christi: Nisi quis renatus fuerit &c. Meminit ejus passim Augustin. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. Cap. 34. Contra duas Epist. Pelag. lib. 1. Cap. 6. Epistola ejusdem 105. Basil. lib. de Spir. S. Gregor. Nazianz. Orat. 3. de Baptism. Westphal. de Baptism. p. 91. & 92.

C L X X X X I I.

Quod si quis Exorcismum in Baptismo, ceu rem necessariam urgeat & requirat, ita quidem, ut sine illo Baptismus fœdus esse non possit: Eum fœdè errare & hallucinari turpiter, putamus.

C L X X X X I I I.

Improbamus ergò I. Superstitionem illam *Pontificiorum*, qua Exorcismum, ut rem necessariam urgent. Compend. Theol. verit. lib. 6. Cap. 10. p. 438. Tàm adulti quàm parvuli exorcisari **D E B E N T** ad expulsionem Diabolicæ potestatis. Idem sentit Gratianus, qui de consecrat. dist. 4. Celestini Papæ auctoritatem prætendens, statuit, ab aditu fontis vitæ pellendos esse, quibus non sit collatus Exorcismus. A
quibus

quibus tamen dissentit Lombard. lib. 4. dist. 6. §. Illa autem. ubi disertè fatetur: Baptismum sine Exorcismo verum esse.

II. Temeritatem atq; proterviam *Sacramentorum & Calvinistarum*, qui Exorcismum, ceu rem per se impiam atq; Idololatricam, simpliciter damnant & execrantur.

C L X X X I V.

De Tempore conferendi Baptismi ulterius h. l. discutitur. Olim autem recepta consuetudo fuit bis in anno baptizandi: semel in paschate, & iterum in Pentecostes festo, tota præsentè Ecclesia. Cujus observatæ olim consuetudinis meminit Tertull. lib. de Baptif. Basil. in exhort. ad Baptism. Ambros. serm. 61.

C L X X X V.

Inde tempus illud veteres *Lumina*, sive *Luminarium tempus* appellaverunt, à beneficio nimirum, quòd baptizati à Spiritu S. illuminentur: non ineleganter eò accommodantes historiam cœci à nativitate Joh. 9. jussi à Christo lavare sese in piscina Siloë, qui cùm lavisset videns venit. Gregor. Naz. Orat. secund. in sanct. lavacr.

C L X X X V I.

Nostris verò in Ecclesiis laudabilis observatur consuetudo, dum parentes, vel primo statim, vel altero, vel tertio die à Nativitate, parvulos deferunt ad regenerationis Sacramentum; vel ilicò etiam, nulla mora interposita, postquam nati fuerint, cùm propter infirmitatem metus aliquis de vitæ periculo existit.

C L X X X V I I.

Optandum autem esset, ut, quod fieri nonnullis

lis

lis in Ecclesiis laudabiliter solet passim ante meridiem, ubi sacrae habentur conciones & preces fiunt publicae, peccatis immundi sacro abluerentur fonte; idque in cœtu publico, quò majore reverentiâ Dei opus perageretur & populus congregatus unanimiter pro baptizandis oraret, & pro inenarrabili hoc beneficio, DEO solenniter gratias agendo, majori in honore Baptismus haberetur.

CLXXXVIII.

Hinc postremae quoque Quæstionis patet solutio, *Locum* administrandi Baptismi concernentis. Is quidem liberrimus est apud Christianos. Sic: Philippus in itinere & via publica baptizat Eunuchum Act. 8: 36. Petrus privatis in ædibus Act. 10: ult. Ordinariè tamen & extra necessitatis casum publicè in templo ad erecta Baptistaria coram Ecclesia, Baptismum administrari debere, judicamus.

CLXXXIX.

Tantum de Forma: Restat *Finis*: qui vel *principalis* est, vel *minùs principalis*.

CC.

Principalis in eo consistit, ut baptizandus regeneretur ac renovetur, obfignetur salus ac fides confirmetur: adeoque è filio iræ atque mortis filius Dei, ac hæres fiat vitæ sempiternæ. *Minùs principalis* est, ut Christianos à sectis reliquis distinguat partim, partim ut nervus sit congregationis Ecclesiasticæ, itemque baptizatum de perpetuo cum DEO factò fœdere admoneat. Tit. 3: 4: 5.

CCI.

Errant igitur *Calvinistæ*, qui I. fidelium liberos
G jam

jam tum ab utero matris sanctos esse blaterant. Calv. Institut. sua minimè Christiana lib. 4. Cap. 15. §. 22. Ibid. Cap. 16. §. 24. &c.

II. Baptismum ad salutem esse necessarium inficiantur. Beza Coll. Momp. p. 434.

CCII.

Haftenus de Causis Baptismi: De *Effectis* ejusdem paucissimis, Colophonis loco, differemus.

CCIII.

Effectum geminum est 1. ἡ παλιγγενεσία sive Regeneratio, quæ est actio Spiritus S. qua, ex filiis iræ atq; mortis, Dei filii, efficiuntur baptizati: Eph. 2: 3. Joh. 3: 6. Rom. 8: 6. 9: 8. Gal. 3: 7. Tit. 3: 5.

2. ἡ ἀνακαίνωσις, hoc est, Renovatio, quæ est opus Spiritus S. mortificantis veterem hominem in regeneratis, & imaginem DEI instaurantis, quæ per lapsum protoplastorum amissa erat: Initium quidem sumens in hac vita; in altera verò plenissimè perficienda absolvendaq; Rom. 6: 4. 12: 2. Col. 3: 10. Tit. 3: 5.

CCIV.

Sic ergò non significatur duntaxat, sed omnibus, hypocrisin nullam exercentibus, confertur etiam ipsa Regeneratio ablutioq; peccatorum: quandoquidem veritas cum signis Sacramentalibus perpetuò est conjuncta.

CCV.

Damnamus proinde *Calvinistarum* vœlaniam, dum 1. cum Anabaptistarum grege Baptismum nudum duntaxat signum sive symbolum regenerationis in electis esse garriunt. Catechism. Heidelb. fol. 33. Edit. Herborn. ann. 94. *Glaubens Bekandtnuß* Hannover. impress. anno: 94. fol. 59. 2. Dum

2. Dum ulteriùs progressi nullum prorsus infantem regenerari in Baptismo, pugnant. Sic n. *Beza* præf. ad act. Coll. Momp. Nunquam dixi ego, Baptismum esse regenerationis in pueris obfignationē, sed adoptionis ex fœderis formula: Ero Deus tibi & semini tuo. Neq; dixi, pueros vel OMNES vel ALIQUOS (*hoc est, NULLOS planè*) re ipsa in illo Baptismi momento regenerari, sed regenerationis beneficium suo demùm tempore divinitùs ordinato, illum Baptismi actum in infantibus ex verbi auditu subsequi.

3. Dum omni fide vera & salvifica spoliant infantes una cum gregalibus suis Anabaptistis. Sic enim *Beza* ad Acta Colloq. Mompelg. p. 24. Si verum illud Apostolicum: Fides ex auditu &c. Unde tandem illa fides vestra *infantis*? Idem: Pueri fidem non habent, præsertim actualem, Colloq. Momp. p. 485. Item: Infantes propriam fidem, propter defectum actualis intellectus habere non possunt, quæ per solum auditum verbi Dei datur. Coll. Momp. p. 491. *P. Martyr* L. C. Cùm Scriptura S. mihi non dicat, parvulos credere, neq; id videam esse necessarium ad eorum salutem: judico satis esse, ut statuatur, qui servandi sunt, eò quòd per electionem & prædestinationem ad peculium Dei pertineant, Spiritu S. perfundi, qui radix est fidei, spei, charitatis & omnium virtutum, quas postea exerit & declarat in filiis Dei, cum *per ætatem* licet. fol. 826. Edit. Heidelberg, ann. 1603. Idem tradit *Wolff. Muscul.* L. Com. p. 240 & 336.

4. Dum, unâ cum Pontificiis, Infantes tantum in fide parentum atq; Ecclesiæ baptizari contendunt. *Beza* Coll. Momp. p. 485. & 495. Comp. Theol. vet. l. 6. C. 9. p. 434.

Contra quam improbitatem Anabaptisticam,
deliriumq; Sacramentarium firmissimè hæc tenenda
ἀποδείξις:

*Quicumq; credunt in Christum; & Deum laudant; &
accipiunt regnum cælorum; agnoverunt Patrem, placent
Deo, justificantur, salvantur: Ii vera & salvifica fide
præditi sint, oportet. Hebr. 11: 6. Rom. 3: 22. Joh. 5:
39. Hab. 2: 4.*

*Atqui Infantes, sacro lavacro tincti, credunt in Chri-
stum, Matth. 18: 6. Mar. 9: 42. Deum laudant Psal.
8: 3. accipiunt regnum cælorum Marc. 10: 14. agnove-
runt Patrem 1. Joh. 2: 14. adeoq; placent Deo, justifican-
tur & salvantur.*

E. Fide vera & salvifica præditi sint, necessum est.

Errant deniq; Pontificii, 1. Per Baptismum in
anima imprimi characterem indebilem, ob quem re-
iterari non possit, asserentes. Bellar. Tom. 2. Con-
trov. Gen. 1. lib. 2. Cap. 18. 19. &c.

2. Baptismum, gratiam, ex opere operato h. e.
sine fide & bono motu utentis, conferre docentes.
Bellarm. Tom. 2. Controv. lib. 2. Cap. 3. & seqq.

3. Unum eundemq; Effectum Baptismi & cu-
cullæ Monasticæ induitionem esse, somniantes. Tom.
lib. 4. dist. 4. art. 3.

4. Post Baptismum lapsis non prodesse rege-
nerationis lavacrum, fingentes, sed alio opus esse re-
medio, quia gratiæ fœdus dissolutum fractumq; sit:
uti suprâ quoque indicatum fuit. Lombard. lib. 4. dist.

14. §. 1.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

94 A 7359

ULB Halle 3
002 625 679



Sb.

Retio
W 17



Ita
m, p.
o loc
d hoc
meta
c.)
v. l.
em lo
is cur
s, ass
vi in
tate
oigi
i fac
m fe
pro o
atur
erna
icem
ria e
mex
non e
est.
ribus
hem
unio
uatu
p. 52
(agn
. p. 4
vina
e, fili



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ARTICULUS
De
BAPTISMO
CONCLUSIONI-
BUS COMPREHENSUS
Theologicis:
Quarum patrocinium,
Divina aspirante gratia,
SUB PRÆSIDIO
Petri Piscatoris D. ac Pro-
fessoris Sacrarum Hebræarumq; Literarum publi-
ci, Facult. Theolog. p. t. Decani,
Publicè καὶ δόξασιν suscipiet
M. FABIANUS VOGELIUS.
Ad diem 24. Maii,
Horis antemeridianis, & pomeridianis, loco
confueto.
JENÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI LIPPOLDI.
ANNO 1606.

Vera pietatis, et exercee doctrinae sumptibus. DN.

